DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IGNE ELECTREO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE IGNE ELECTREO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MACULLOH,

Ex Inſula GUERNSEY.

The proverb ſtill ſticks cloſely by us,
Nil dictum quod non dictum prius.
LLOYD.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

ANDREÆ DUNCAN, M. D. F. R. S. ED.

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 15.	lin. 16.	*ante* preſſe *inſere* prolatæ ſunt
22.	10.	*pro* præterundum *lege* prætereundum
	12.	*pro* contuliſſe *lege* contulit
	15.	*poſt* relegabimus *inſere* * LOVETT's *Eſſays.*
39.	16.	*pro* poteſt *lege* poſſit
49.	14.	*pro* admotus *lege* admotum

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IGNE ELECTREO.

PROOEMIUM.

IGNIS *electreus*, ex quo tempore, qualis ei sit natura, quibusque polleat viribus, notum sit, habitus profectò est dignissimus, ad quem animum cupidissimè advertant *physici*. Vis quoque, quam morbos depellendi vim possidet, medicos quibus curæ est corporis va-

letudo, ad leges quibus fervit indagandas allexit.

Noftris temporibus ignis *electrinus*, optato eventu, contra morbos multigenos, in auxilium a medicis vocatur. Quinetiam, eo miniftro, nervorum generis res olim prorfus obfcuras, necdum utique fatis cognitas, explicare medici conati funt. Ad hoc, philofophi fimilitudine quadam, quæ igni *electreo* eft cum luce, calore et rebus magneticis, et prænotione nervorum fluidi ætherifque omnia pervadentis adducti, illi igni tantummodo variè modificato hæc omnia attribuerunt.

Argumenta, quibus idem effe fluidum nervorum et ignem *electrinum* probare olim conati funt medici, prorfus vana erant; propterea quòd rebus ipfis, quippe quarum ifthactenus perpaucæ profectò cognitæ effent, non congruerent. Horum enimvero unitatem probare nuper magis potuimus; licèt, res hactenus cognitas ad unitatem prorfus probandam minimè fufficere, confitendum fit.

Notum

Notum jamdudum eſt, animantes quaſdam ſcintillulas *electreas* edendi facultatem habere; et profectò non defuerunt, qui vel homines hujuſmodi ſcintillulas emittere aſſeruerunt. Homines verò tali facultate nulla pollere, ſed has ſcintillulas ex quibuſdam eorum veſtimentis ſeſe mutuò confricantibus, aut ex crinibus, emitti compertum medici habent. Cùm ita ſit, ſcintillulæ hinc editæ, humano corpori ineſſe talem facultatem, minimè probant.

Animantes autem ſunt viliores quædam, quæ opinionem ſuprà dictam multò magis firmant. Ad hoc genus pertinent torpedo, *gymnotus electricus*, atque piſces quidam alii. Ictus, quos contrectantibus impingunt hi piſces, ſunt in re *electrini*, et eos vel arte nonnulli profectò imitati ſunt. Quin et *electrea* hujus piſcium generis organa nervis et magnitudine et numero adeo inſignibus inſtruuntur, ut, quin illis hos, fluidum *electreum* colligendi cauſa, natura largiatur, dubitare vix poſſimus. Huc accedat, quòd contrectans non, niſi volente

lente piſce, fulmine *electreo* percutitur; unde, nexum quendam inter percuſſus et nervorum efficientiam intercedere, ſatis patet.

Res autem a quibuſdam philoſophis ITALICIS nuper detectæ et in apertum prolatæ, ignem *electrinum* planè idem cum nervorum fluido eſſe, vel ſaltem huic quàm maximè cognatum, veriſimillimum et profectò tantùm non certum reddunt. Ad prorſus verò ſtabiliendam hanc unitatem, vel cognationem quaſi, opus eſt ut multa etiamnum incognita patefiant. Verùm enim verò, quippe cùm in rem, tam dignam quæ perquiratur penitus et intelligatur, ingenioſiſſimus ferme quiſque acerrimo ſtudio animum intenderit, nos haud multò diutius in dubio eſſe, idem ſint ignis *electreus* et nervorum fluidum, an diverſa inter ſe et diſſimilia, futuros probabile eſt.

PARS

PARS I.

De Effectibus, quos in Animantium Corpora præstat Ignis Electreus.

E viribus, quæ igni *electreo* inſunt, nulla latiùs patet, vel magis miranda eſt, quàm ea, qua pollet, animantium corporum incrementa maturandi. Hanc ei ineſſe potentiam, utcunque aliter quibuſdam auctoribus viſum fuerit, nunc ſatis ferè conſtat, et inter omnes ferme auctores convenit. Verum eſſet hoc, necne verum, comperiendi ſtudio qui flagrabant, ii de bombycibus, ranunculis, et fœtu in ovo ferè ſolis pericula faciebant; utpote animantibus, quas ſervare facillimum eſt, quæque magnitudine tam maturè creſcunt, ut, quantùm eas afficiat ignis *electrinus*, clariſſimè pateat.

His periculis compertum eſt, bombycas, qui ſunt igne *electreo* expleti, e necydalis citiùs,

quàm

quàm cæteros, evolvi, et breviore ſpatio ſummam magnitudinem attingere; et, eodem facto, ranunculos multo in ranas maturiùs grandeſcere, atque pullos gallinaceos ova, quibus viveſcunt, diſrumpere.

Igni præterea *electrino* ineſt potentia, qua cor arteriaſque, in mirum adeo modum, incitat; ut, elicitis ex qualibet animante ſcintillulis *electreis*, vel eâdem fulmine *electreo* leniter percuſsâ, arteriæ ſexto ferme ſolito incitatiùs moveantur. Ita eſſe, obſtinatis animis pernegârunt nonnulli. Plurima verò experimenta de induſtria capta, nullum, quin ita ſit, nunc dubitandi locum relinquunt. In contrariam opinionem eo fortaſſe iverunt auctores, quibus aliter viſum eſt, quòd, efficere quid poſſet ignis *electreus* in homines, quorum arterias parum concitaret, periclitati ſunt.

Concitatior cordis arteriarumque motus animo metu perturbato non attribuendus eſt; eo quòd, ſcintillis *electreis* e dormientibus quidem animantibus elicitis, ideoque nihil hinc mali

mali timentibus, arteriæ iis nihilo minùs aliquanto incitatiùs micant.

Quinetiam ignis *electreus*, id quod, facta periclitatione etiamnum nullâ, ex incitato cordis arteriarumque motu prænoviſſe quidem licuiſſet, animantium calorem interdum aliquantùm, et perincommodè quidem, intendit. Incrementum verò caloris ſenſiferi, quod animans quælibet fluido *electrino* expleta percipit, minimè pro vero eo, interdum quod accidit, incremento habendum eſt, quod *thermometrum* indicat. Maximum caloris, quod notavit Pikelus *, incrementum ei æquale erat, quod indicant tres *thermometri Fahrenheitiani* gradus.

Ad hoc ignis *electreus*, ut celeriùs reciprocetur anima, efficit; hoc verò rariſſimè, quippe cùm unum tantummodo exemplum, ubi talem effectum præſtitit, ſeſe obtulerit.

Huc accedat, quòd cutis exhalationem perſæpe ſolito uberiùs elicit. Rem ita eſſe, experimenta,

* Hufeland. *de Aſphyxia*.

perimenta, quibus exhalationis quantitas menſurâ et pondere æſtimatur, ſatis probant; neque raró aliquis, dum fluido *electreo* expletur corpus, vel inſudat, vel tanta ſaltem ei in ſudorem efficitur proclivitas, ut poſtea ſolo lecti calore ſudore fluat. Hujuſmodi veró ſudationem mente ſibi vana pericula imaginante, magna ex parte, effici idcirco credimus; quòd eos, quorum corporibus admota fuerit *vis magnetica animalis*, ſudore plerumque permadeſcere novimus. Verùm ſudorem tamen, aliquatenus ſaltem, elicere hoc fluidum, eo ſatis conſtat; quòd animantes imaginationis ferè expertes illo fluido expletæ, præter ſolitum, ſudant.

Glandulæ quoque alicujus partis ſolito plus ſecernunt, ſi ſcintillæ *electreæ* ex hac eliciantur, vel eadem *electreo* percutiatur fulmine. Aurium enim cerumen, oculorum lachrymæ, oris ſaliva, et ex partibus cantharidibus exulceratis ſerum, miniſtro igne *electrino*, uberiùs ſolito ſecernuntur. Quin, et eadem cauſa admota,

mota, crines ſolito celeriùs longitudine creſcunt. Dicitur etiam fulmen *electreum* efficere, ut menſes mulierum et hæmorrhois abundent: ſed, utrùm talia quæ efficiat, necne, non æquè compertum medici habent.

Dicunt porrò nonnulli, fluidum *electrinum* appetitum acuere, et alvum aſtrictam reddere; neque profectò deſunt, qui alvi profuſionem ab eo interdum effici cenſent. Verùm hujuſmodi enimvero effectus prorſus adventitii, nobis judicibus, habendi ſunt.

Cutem eodem, quo alia quælibet ſtimulantia, modo afficit. Ea enim ſive ſcintillis *electreis*, ſive ictibus, prurit admodum, caleſcit, rubeſcit, aliquantum tumeſcit; neque quidem raró formicatione afficitur, et inſudat. Cutis porrò, ſi tenerior ſit, et ſi fluidum *electrinum* aut ex ea clariùs ſcintillet aut eandem acriùs percutiat, vel formicat, vel veſiculis exaſperatur, vel ſanguine ex propriis vaſis effuſo decoloratur.

In hominibus, in quibus ineſt nimia irritabilitas, fluido *electrino* effici dicuntur anxietas, irritabilitas adhuc major, nauſea, inſomnia, et morbi nonnulli ſpaſtici. Percuſſum præterea *electreum* fortiorem illico ſequuntur graviſſimus, fugax autem, dolor, et invita muſculorum, quos pervaſit fulmen, contractio, cui obſiſti nullo molimine poteſt. Neque hoc profectò mirum eſt ; hujuſmodi enim contractio etiam in iis accidit muſculis, quorum motus voluntati non parent, quoſque alia ſtimulantia parum vel non omnino afficiunt.

Fluidum *electrinum*, haud ſecus ac alia quæ nimis incitant, irritabilitatem muſculorum penitus exhaurit. Partes enim membrave, quæ fulmine *electreo* icta ſunt, multò pòſt, ut quotquot ferme eunt dies, videmus, languida manent et torpida, et interdum in iis nervorum efficacia omnino deletur. Hoc modo fulmen tonitrale cæcitatem haud raró efficit ; licèt ictum oculis captum interdum reddat corneam luci imperviam faciendo. Odoratus quoque,

ut

ut teſtatur Hartmannus *, fulmine *electreo* omnino deleri poteſt.

Neque ſanè fulmen *electrinum* irritabilitatem ſolùm cujuſlibet partis hebetat, aut omnino deperdit; ſed etiam, ſi gravius ſit, ſacram ipſius vitæ flammam penitus et dicto citiùs extinguit. Ita iis accidit animantibus, quæ fulgure tonitrali perimuntur.

Quanta corpus incitandi facultate polleat fluidum *electreum*, non ſolùm in vivis animantibus, ſed in fibris etiam muſculorum poſt mortem, conſpicamur. Muſculos enim ex corpore poſt extremum halitum exciſos, quos incitare nequeunt vires ullæ aliæ concitatrices, in validos motus ciet. Quin et, id quod adhuc magis mirandum eſt, ranæ cor, tres poſt dies, in contractiones civit, quàm cæteri ſtimuli, ſive *chymici* ſive *mechanici*, id incitare ceſſaverant. Muſculus corpore exſectus, ſi fulmine *electreo* graviter ictus fuerit, illico quàm

* Hufeland. *de Aſphyxia*.

quàm validiſſimè contrahitur, ſed poſtea eodem ſtimulo neutiquam concitari poteſt.

Eſt denique priùs obſervandum, quàm ad alia pergamus, fulmen *electrinum*, dum manet vita, corpus pervadere, ſed, poſt mortem, extremum tantummodo corpus perſtringere*. Cùm res ita ſit, nonne ignotum illud aliquid, unde vita pendeat, intermedium eſſe, per quod fulmen *electreum* corpus permanet, concludere licet.

PARS II.

De Modo, quo Effectus præſtat Ignis Electreus.

De hac rei noſtræ parte, variæ profectò opiniones in apertum prolatæ ſunt; quæ autem omnes in quatuor redigantur. Harum

Prima eſt eorum, qui exiſtimant, *electreum* fulmen in fluida agere;

Secunda

* Vid. Cavallo's *Medical Electricity*.

Secunda eorum; qui eodem agere modo, quo *phlogiſton*, opinantur;

Tertia eorum, qui eodem modo planè, quo incitantia, agere putant; et

Quarta eorum, qui idem cum ipſo nervorum fluido eſſe, vel ſaltem huic quàm conſimillimum, cenſent.

Opinio prima.—Fulmen *electreum*, ut putant ſaltem ii, quibus in fluidas corporis partes agere videtur, humores attenuat, atque, ad permanandum per vaſcula capillaria, aptiores reddit. Ob fictam hanc attenuandi vim, ad tollendos morbos, qui lentore ſanguinis vix minùs ficto et obſtructis vaſis effici exiſtimati ſunt, multùm pollere medici olim plurimi crediderunt.

Sanguinem rectà, ut hi rati ſunt, fulmine *electreo* tenuari, non eſt cur credamus. Tenuitas enim ſanguinis, ſi in re tenuis hic fiat, renixui arteriarum præter naturam aucto tribuenda eſt; neque enim, quantum concipere poſſumus, fulmen *electreum*, ut humores per vaſcula

vaſcula capillaria faciliùs fluant, utve extremum corpus uberiùs vaporet, efficere poteſt. Plura autem, quò hanc opinionem labefactemus, dicere minimè neceſſarium eſt.

Opinio ſecunda.—Fluidum *electrinum* eſſe *phlogiſton* opinati ſunt philoſophi, quia *oxydia* metallorum reducendi facultate pollet, et alia inſuper efficiendi, quæ efficere *phlogiſton* exiſtimatum eſt. Sed, quum principium, quo nititur hæc opinio, fictum omnino ſit, eo labefacto et ſubruto, hæc quoque nutat et cadit.

Opinio tertia.—Fluidum *electreum* corpora incitare ſatis conſtat; et huic vi concitatrici præcipui ejus effectus, qui profectò eos aliorum ſtimulantium plurimùm referunt, ſunt, me opinante, tribuendi. Hoc conceſſo, quo modo multos morbos depellat, explicare poſſumus.

Cæteris autem, quibus animantium corpora incitandi vis ineſt, fulmen *electrinum* idcirco anteferendum eſt; quòd non, extremis tantummodo nervis primùm incitatis, partes deinde

inde remotiores, ob conſortium quod his eſt cum illis, inſtimulat ; ſed nervos per totum etiam curſum permananter concitat, et alias inſuper partes plurimas quas nullo alio ſtimulo rectà concitare poſſumus.

Opinio quarta.—Fluidum *electreum* eo nervorum proprio aliquatenus conſimile eſſe, vero haud prorſus abſimile eſſe. Incitandi enim facultas, qua pollet, minimè exponit, quo modo quoſdam tollat morbos, qui ex ſpeciali nervorum efficientiæ conditione pendent ; et porrò interdum multùm proficit, etiam cùm, ſaltem quantùm percipi poteſt, corpus non omnino incitet.

His de opinionibus, quæ de modo, quo agat ignis *electreus*, preſsè memoratis, nobis confitendum eſt et dolendum quidem, rem etiamnum abditam eſſe et perobſcuram, qualem profectò exponere non aggrediemur. Nobis veriſimillimum eſt, multa experimenta priùs capienda eſſe, quàm eam aliquis expedire poſſit.

PARS

PARS III.

De Morbis, ad quos tollendos vel levandos pollet Ignis Electreus.

His de *electrini* ignis effectibus et agendi modo cognitis, faciliùs judicare poterimus, quibus in morbis proficiat. Eſt autem hìc loci confitendum, medicos ex ſola experientia poſſe, quantùm et quando proſit, comperire et decernere; ideoque nos, quod ad ejus uſum attinet, empiricos ferme eſſe.

In tot tamque inter ſe contrariis morbis fulmen *electreum* prodeſſe dicitur, ut iis, quæ de ejus effectibus enarrata ſunt, fidem vix habeamus. Diu ferme panaces habitum eſt; propterea fortaſſe quòd, per longum tempus, ad id ab iis, qui in ſumma medicinæ ignorantia verſabantur, decurri ſolebat. Quapropter morbi, in quibus profeciſſe narratur, adeo confuſè

confusè et permistè imo pravè descripti sunt, ut, quid sibi velint ii, qui de iis disserunt, intelligere non possimus. Effectus, ut mihi verisimile videtur, remedii, pro morbi ipsius progressu perperam habitus est ; et, eam ob rem, medicina immeritò tulit laudem curationis, quam alma utique natura effecit. Multi præterea morbi, quos sustulisse fertur, solitarii tantummodo fuerunt, unde de ejus virtutibus nihil profectò omnino concludere possumus.

Morbi, quos, præ cæteris, tollere sive levare potest fluidum *electreum*, sunt ii, qui ex nervorum efficientia seu minuta sive aucta sive depravata initium capiunt. Pollet quoque plurimùm ad vasa in motus validiores cienda, et languentem sanguinis cursum per partes morbidas commovendum.

Verùm enim verò morbos, ad quos deducendos polleat, in ordines disponere imprimis difficile est. Quocirca de iis, qui ordinari nequeunt, singulatim differendum est ; de iis, qui in ordines disponi possunt, ordinatim. Hu-

C jus

jus generis morborum alii *inflammationem* habent, alii *ſpaſmum;* nonnulli in *reſolutione nervorum* ponuntur, nonnulli in *partibus quibuſdam obſtructis.* De his morborum deinceps ordinibus primùm breviter dicendum eſt; deinde de cæteris, ſingulatim.

CAP. I.

De Morbis Inflammationem habentibus.

Fluidum *electreum* in eos, qui hujuſmodi morbis laborant, incitando agere videtur. Interdum effectus edit iis ſimiles, quos præſtant medicamenta, ex iis quæ cutem exulcerant vel rubefaciunt. Aliàs eodem ferme modo agere videtur, quo incitantia partibus admota, quæ ſpeciali inflammationis gradu ſive genere afficiuntur.

Podagra.

Podagra.—Fulmen *electrinum*, contra podagram et *regularem* et *retrocedentem*, in auxilium vocatum est; sed, dum illa adsit, non potest, nostra saltem opinione, quin admodum noceat. Interdum profectò accessionem aufugit; sed, haud secus atque *camphora* aliaque stimulantia, multo sæpius, ut, relictis pedibus, recedat ad partes alias et magis quidem vitales, efficit.

Memoriæ proditur podagrosus, de cujus pedibus morbum ictus a *gymnoto electrico* impactus depulit *. Etiamsi vix opinemur, morbum, qui a primigenia corporis fabrica originem capit, medicamento tam fugace radicitùs curari posse; tamen non denegamus, quin ab hoc, eodem ferè modo atque a vulneribus et animo graviter perturbato, fugari possit. Si hoc modo ex artu laborante podagram subitò depellere aliquis velit, nullum profectò medicamentum, ad quod hoc consilio ab eo tutiùs

* Vid. *Journal de Médicine.*

tiùs decurri poteſt, quàm fulmen *electreum*, novimus.

Dicitur quoque prodeſſe hoc fulmen, cùm podagra, pedibus relictis, retrograditur, et ventriculum adoritur; verùm, nobis opinantibus, non eſt, quare cæteris anteferatur ſtimulis, quos permultùm poſſe ab omnibus conceditur. Plurimùm, ut videtur, iis podagricis proficit, quibus, poſt acceſſiones compluries integratas, artus tument et rigent. Quoties enim ita eſt, frictionem, ad quam tum decurrere uſitatum eſt, haud parum fortaſſe adjuvet.

Ophthalmia.—Hoc morbo laborantibus interdum profeciſſe dicitur *electrinum* fluidum. Cùm gravis perquam ſit inflammatio, et univerſo corpori ad inflammationem inſit proclivitas, quin graviora reddat ſigna, dubitari non poteſt. Quòd ſi inveteraverit inflammatio, et vaſis laxatis aut relicta conſuetudine protrahatur, multùm utique proficiat. Eodem videtur prodeſſe modo, quo *ſpiritus ardens* aquâ dilutus, et alia collyria ex iis quæ oculos ſtimulant.

mulant. Quinetiam oculorum inflammationem interdum ſubitò et penitus, attamen ad tempus tantummodo, diſcutit. Inflammatione hoc modo ſubitò diſcuſſa, eſſet forſitan utiliſſimum, ne rediret præcavendi cauſa, oculis collyria, ex iis quæ aſtringunt, admovere.

Cynanche.—Ignis *electrinus*, quippe qui cutis inflammationem concitet ei ſimilem, quam concitant medicamenta, ex iis quæ rubefaciunt, non modò iis profeciſſe fertur qui anginâ tonſillarum laborant, ſed iis quoque qui malignâ. Non autem cæteris rubefacientibus anteferendus videtur, quæ alicui parti inflammatæ imponi ſolent.

Phlogoſis.—Ad fluidum *electreum* ab iis decurſum interdum eſt, qui phlegmone uruntur; ſed e factis de eo periculis paucis et inter ſe quidem contrariis, nondum liquidò, an proſit, necne, apparet. Hi inflammationem reprimere et diſcutere, illi ſuppurationem maturare afferunt. Cùm ita ſit, proficiat, necne, ſtatuere nequimus.

Dum

Dum adeſt *erythema*, aliquid laboranti levaminis attuliſſe fertur, et etiam hujuſmodi interdum curâſſe inflammationes quæ latè patebant. Quin et non deſunt, qui dicunt, *erythema* quidem ſanare, quod partibus vi ſeu ignis ſive frigoris aduſtis ſupervenit. Utrùm verò proficiat, necne, nondum periclitatione ſatis conſtat; necdum, ſi in re proficiat, quo proficiat modo explicare poſſumus.

Hìc loci non præterundum eſt, memoriæ prodi *ſphacelum* inferiorum membrorum, ad quem reprimendum inſigniter contuliſſe fluidum *electrinum*. Qui verò plura, de hac re, ſcire velint, eos ad auctorem, cujus fide narratur, relegabimus.

Hydarthrus.—Hoc morbo laborantibus ſemel biſve profuiſſe dicitur fulmen *electrinum*. Quin, ſimùl atque conquieverit inflammatio, nonnihil, adjuvante eodem tempore frictione, proficiat, nulli dubitamus. Non deſunt etiam, qui non ſolùm apoſtemata, qualia ſæpius accidunt, ſed abſceſſum etiam lumborum, qui rariùs,

riùs, interdum ſanare perhibent. Veruntamen, an, illis urgentibus, et adhuc magis hoc, aliquid proficiat, multùm hæremus. Ab iis profectò, qui profeciſſe dicunt, erratum eſſe, nobis veriſimillimum videtur.

Rheumatiſmus.—Non ſolùm ab iis, qui hoc morbo ipſo efflictantur, ſed ab iis etiam qui *arthrodynia*, quæ ei interdum ſupervenit, auxilium a fulmine *electrino* petitum eſt. Illo in morbo, interdum eodem ferè modo, quo *camphora*, eaque quæ cutem rubefaciunt, dolorem aliquantùm una in parte lenit; ſed in aliam plerumque fugat, et ad morbum eradicitùs tollendum parum confert. In hoc autem morbo efficaciſſimum profectò medicamentum eſt; et haud raròò, parum proficientibus aliis, eum omnino tollit. Cæteris omnibus anteferendum eſt, cùm, ut interdum accidit, huic morbo ſuperveniat ad nervorum reſolutionem proclivitas.

Quod ad modum attinet, quo admoveatur, pars affecta vel ictibus leniter percutienda

eſt,

eſt, vel ex eadem eliciendæ ſunt ſcintillulæ, prout alterutrum modum anteferendum medicus opinetur.

Odontalgia.—Si hoc malo afficiatur dens, qui nondum carioſus eſt, vel ſi dolor, qui ægrum torquet, a maxilla rheumatiſmo correpta oriatur; ictus *electrini* multùm proſunt: ſin a dente carioſo originem deduxerit malum, gravius idem reddere hujuſmodi ictus dicuntur.

CAP. II.

De Morbis Spaſticis.

Hoc ordine diſponuntur ii morbi, qui convulſionibus inſigniuntur; contra quos profectò omnes fulmen *electrinum* eodem modo pollere videtur.

Chorea.—Quò inſignem hunc morbum ſanaret, HAENUS ad fulmen *electreum* peroptatò confugere ſolebat; et, miniſtro hoc fulmine,

eum

eum pòst fugasse fertur, quàm alia omnia incassum tentaverat. Huic medico mos erat, ictus *electreos* per totum corpus dirigere.

Epilepsia.—Hic quoque morbus fulmini *electrino* interdum cessisse narratur. Exempla autem, in quibus hoc accidit, rara sunt; et præterea, natura morbi cognita, haud multum ex hoc medicamento utilitatis, nostra saltem opinione, expectandum est.

Tetanus. — Unica tantummodo memoriæ traditur tetanica, quam fulgur *electreum* curâsse dicitur *. Hoc *trismum* quoque semel, *raphaniam* interdum, expulisse perhibetur.

Hysteria.—Hoc morbo laborantibus maximum sanè commodum interdum attulit *electrinum* fulmen. Id correptam *hysteria* fœminam, quæ et linguâ et auribus capta est, in sanitatem restituere vidimus. Constantem quoque globum *hystericum*, qui devorandi impotentiam effecerat, sustulisse perhibetur. Quin et

D ab

* Vid. *Philosoph. Transact.*

ab eo ſemel curata eſſe narrantur *triſmus* et *catalepſis hyſterica* *.

Præter jam dictos, multi alii ſunt morbi ſpaſtici, quos *electrino* fulgure ſublatos eſſe auctores perhibent. Hujus generis ſunt *aſthma*, *gaſtrodynia*, ſurarum nervorum diſtentiones, aliique morbi his conſimiles. Verùm horum enimvero morborum curationes, quas effecerit fulmen *electreum*, ſolitariæ ſunt vel ſaltem rariſſimæ.

CAP. III.

De Morbis, qui in Nervorum Reſolutione ponuntur.

Fulmen *electrinum*, ad morbos hujus ordinis, quàm cæterorum, fugandos, plùs multo pollet. Incitandi potiſſimùm facultate, quæ ei

* Vid. *Medical Facts.*

ei ineſt, iis, qui hiſce morbis conflictantur, prodeſſe creditur; ſed, utrùm incitandi tantummodo vi proficiat, an alia aliqua virtute, animo incerti ſumus.

Apoplexia.—Hoc morbo attonitis profectò plurimùm interdum prodeſt fulmen *electreum.* In utriſque *apoplexiæ* ſpeciebus, quæ fluidis ex propriis vaſis effuſis efficiuntur, ad medicamenta, ex iis quæ incitant, ab et adhibitis medicis et aſtantibus amicis decurſum eſt; præcipuè ſi attoniti non adeo ſopore obruerentur, quin inſtimulantibus medicamentis aliquantùm exſuſcitari poſſent. Siquando, attonito nondum a medicis necdum amicis deplorato, obſcuræ nutantis vitæ reliquiæ medicis morti eum etiamnum eripiendi ſpem injicerent, præſentaneum ab incitantibus, et, inter cætera, ab *electreo* fulmine, auxilium petere mos erat. Quantæ autem temeritatis ſit aut potiùs vecordiæ, in talia auxilia confugere, medicorum pleriſque nunc ſatis conſtat. Incitatio etenim, utcunque gravis, compreſſum cere-

brum

brum levare nequit; et, pressura nondum sublata, fugax exsuscitatio attonito parum utique proderit. Imo morbum graviorem reddit; et, eam ob rem, fulmen *electreum*, quippe quod vasa, quibus fluit sanguis, in motus validiores incitet, præ cæteris incitantibus, vitandum est.

Quòd si hic morbus ex conditione nervorum efficientiæ aliquo modo mutata pendeat, ad fulmen *electrinum* tutò decurri potest. Attoniti enim, quibus levamen afferre potest hoc fulmen, sunt ii, qui acido *carbonico*, plumbi et hydrargyri vaporibus, venenis quæ nervos torpidos faciunt, frigore, concussu, fulmine ipso *electreo*, animo graviter commoto, spiritu intercluso, in morbum inciderunt. Attamen, cùm ex his causis multæ, ut, vasis ruptis, in cerebrum effundatur sanguis, aut, iisdem nequedum ruptis, latex tenuior, efficiant; accidat interdum, ut dubium sit, ad fulmen *electreum*, necne, decurreretur. Plerumque autem iis, qui causis modò dictis attoniti sint, hoc fulmen insigniter proficiet. Interdum, etiam

cùm

cùm adeo graves fuerint hæ causæ, ut earum vi interiisse attonitus videretur, *electreum* fulmen, auxiliante simul pulmonum inflatione, pallidæ inhianti morti eum eripuit.

Ex periculis in animantes viliores, quantùm attonitis prosit *electreum* fulmen, cognoscendi causâ factis, comperti sunt medici, eas, quas interemissent *electreum* fulmen, acidum *carbonicum* et alia multigena, fulmine *electreo* scienter et catè directo ad vitam revocari. Nuper quoque ad hoc fulmen, quò submersos exsuscitarent, qui profectò, ut inter plerosque convenit, *apoplexiâ* intereunt, decurrere medicis mos fuit. Minùs fortasse iis conveniat attonitis, qui, ob mentem incitatam nimis, quàm ob nimis sedatam, sanguine icti sint; propterea quòd, commota nimis mente, sanguis incitatiùs movetur.

Quoties ad fulminationem *electream* decurratur, dirigendi sunt ictus fervidiores per cor et septum transversum; neque de eorum efficacia desperandum est, etiamsi musculos ex-

ternos

ternos non commoveant; quippe cùm muſculis vitalium earum partium naturaliter inſit acrior multo irritabilitas. Obſervandum denique eſt priùs, quàm hanc rei noſtræ partem relinquimus, fulminationem *electream* iis haud parum proficere, qui, poſt cerebrum concuſſum, languent, torpent, quibuſque labat memoria *.

Nervorum reſolutio.—Etiamſi, ad hunc morbum tollendum, parum polleat *electrinum* fulmen; tamen, cùm interdum tollat, quibus reſolvuntur nervi, ii id periclitari debent; eoque magis, quòd tam pauca ſunt medicamenta, unde ab iis præſidium peti poſſit. Verum interdum tamen accidit, ut ad id non decurrendum ſit. Quoties enim reſolutio nervorum a torpore inceperit, aliiſve ſignis, quæ cerebrum premi indicant; vel quoties, ex corporis habitudine et prægreſſa *apoplexia* ſit, quare in cerebrum effuſum eſſe fluidi aliquid opinemur: toties nervis reſolutus *electreo* fulmine non icendus

* Vid. Bell's *Surgery.*

icendus eſt; aliter enim, periculum eſt, ne uſque ad mortem dicto citiùs attonetur.

Quòd ſi morbus aliquandiu perſtiterit, neque diutiùs appareant ea, quæ cerebrum premi certiores nos faciant; tum, vix autem cùm res omnino aliter ſemet habeant, tutum a fulminatione *electrea* præſidium, et inſigniter efficax, peti poteſt. Cæterùm, quando interdum iis quidem proficit reſolutis, in quibus nervum in curſu eſſe aliquo modo læſum cognitum eſt; quoties ita ſit, eſt, quare, tentatis fruſtra aliis medicamentis, de ea periclitetur.

Minimùm iis proficit fulminatio *electrea*, in quibus *paralyſis* jamdudum inveteraverit; quique, vel aliqua ex parte, vel prorſus evaſerint fatui. Quomodo enim cunque res ita ſe habeant, tum cerebrum obſtinato quodam preſſu neque facilè tollendo gravari, efficere liceat. Plurimùm autem pollet fulminatio modò dicta, eam contra nervorum reſolutionem, quam effecerint venefica; quocirca, quò hanc ſanaret, ad illam confugere Haenus ſolebat.

lebat. Vix minùs ferme iis prodeſt, quibus a frigore reſoluti ſint nervi, quibuſve, poſt rheumatiſmum, talis reſolutio ſupervenerit. Eadem porrò fulminatione ſublata eſt cujuſvis partis *paralyſis*, quam nervus aliquis hujus compreſſus effecit. Contra tremores, quos concitant nocivæ e metallis torrefactis exhalationes, quibuſque cum nervorum reſolutione intercedit ſimilitudo vel potiùs affinitas, quantùm polleat, hìc loci dicere non opus eſt.

Cùm ab igne *electrino*, ut medicamento, præſidium petitum ſit, corpus nunc acriter admodum, nunc leniter, ictum eſt. Noſtra verò opinione, temperatus uſus, inter nimium et parum, eſt idcirco anteferendus, quòd plus commodi, et periculi minus, ſecum afferat.

Eſt porrò obſervandum, quoties eſt, cur cerebrum affici, opinemur, partes tantummodo a capite remotiores fulminandas eſſe. Interdum, ſtatim ab hoc medicamento primùm admoto, omnia in meliùs mutantur; ſed poſtea curſum quaſi ſiſtunt, et ad ſanitatem neutiquam

quam inclinant: interdum initio, et per ſex ferme menſes, non omnino levantur; ſed tandem, in fulminis uſu perſeverando, prorſus evaneſcunt. Membra paralytica, quippe quæ non exerceantur, ſæpenumero, *paralyſi* quidem fugatâ vel ſaltem leviore factâ, contractiora remanent. Contra immobilitatem, quæ ex hac contractione pendet, quamque *paralyſi* perperam attribuerunt medici, nonnihil etiam pollere videtur fulminatio *electrea*. Sed, de hac re, aliquanto uberiùs paulò infrà differemus.

Amauroſis.—Ignis *electreus*, etiamſi hoc malum interdum ſuſtulerit, tamen multo ſæpius medici expectationem omnino decipit. Quando verò quidem hoc malum curatu adeo difficile eſt, de eo ſemper, ſi parum profecerint jam tentata medicamenta, faciendum eſt periculum. Commodi attamen ab eo planè nullum expectandum eſt, ſi hoc malum a nervo optico qualibet cauſa compreſſo vel læſo, aut a *lue venerea*, aut a ſcrofula, effectum fuerit.

Quòd ſi a debilitate aut ſpaſmo ortum fuerit, tum indè multum utique commodi percipi poteſt. Rerum porrò inter ſe ſimilitudine adducti, plus adhuc ex igne *electreo* utilitatis ab iis percipi poſſe opinamur, qui ea laborant *amauroſis* ſpecie, quam venena aſſumpta vel rectà admota concitaverint: huic enim *amauroſi*, cum *paralyſi* contra quam multùm utique pollet ejuſdemmodi ignis, ſimilitudo haud parva intercedit.

Iſchuria.—Quoties hoc malum ex *paralyſi* fibrarum muſculoſarum pendet, quæ veſicæ corpus ſuperſcandunt, magnum profectò laboranti præſidium afferat fulminatio *electrea*; neque minus forſitan ei, cujus veſica, ob *paralyſin* muſculi, cujus eſt os hujus claudere, urinæ incontinens eſt.

Obſtipatio.—Contra hoc quoque malum, in primis cùm eo afficiantur provecti jam ætate vel ſenes, in quibus profectò ei cum *paralyſi* aliarum partium eſt quædam affinitas, fulmen

electreum,

electreum, languentem inteſtinorum motum commovendo, aliquid poſſe putatur.

Dyſecœa.—Hanc profectò interdum ejuſdemmodi fulmen omnino ſuſtulit: ad quod itaque tutò, et quidem cum utilitatis indè expectatione, toties decurratur, quoties, fabricâ auris organorumque cæterorum, quibus accipitur ſonus, integrâ, is morbus ex ſenſu eorundem hebetato originem deducat. Auribus necnon captis, ſi horum ſurditas ex ceruminis defectu, ut putant nonnulli, oriatur, *electreum* fulmen aliquantùm proficiat.

Dyſphagia.—Hoc malo, quod efficit gulæ *paralyſis*, laborantibus idem fulmen profuiſſe dicitur; et profectò ſumus, qui, contra hoc malum, plurimùm, quanquam aliquantiſper tantummodo, pollere vidimus. Ex eo itidem percipiatur aliquid commodi, cùm mali in cauſa eſſe ſpaſmus videatur. Neque profectò medici ſpem mentitum eſt in hujus mali exemplo, quod efficere graviſſimus et ferme intolerabilis

intolerabilis, ex ſenſu acriore facto devorandique niſu, dolor exiſtimatus eſt *.

CAP. IV.

De Partibus Obſtructis.

Electreum fulmen, ad duritias emolliendas, et item efficiendum, ut per partes morbidas incitatiùs moveatur ſanguis, inſigniter pollere, uno omnes ore conſentiunt. Hac vi agere videtur contra eos hujus ordinis morbos, qui infrà recenſentur.

Scrofula.—Glandularum duritias, quales in ſcrofula accidunt, interdum emolliviſſe dicitur fulmen *electreum*; ſed morboſam corporis conſtitutionem, ex qua pendent, in ſanam mutare nequit.

Schirrhus.—Ferunt quoque medici, fulmen, de quo diſputatur, hujus generis duritias haud

rarè

* Vid. DUNCAN's *Caſes.*

rarò emollire, et ut magnitudine decrescant efficere. Quinetiam ab iisdem accepimus, ictum fulminis tonitralis *schirrhum* *, ex toto, discussisse. Fulmen autem *electreum* parum ad hujusmodi duritias sanandas potest. Minùs adhuc pollet contra carcinoma exulceratum; etiamsi interdum, ut perhibent auctores, hujus ambitum contrahat, et dolorem leniat.

Caligo. — Fulminatio *electrea*, absorbentia vascula fortasse incitando, *corneæ* nubeculas luci impervias, quæ pendent ex humore inter laminas ejus effuso, dispulit interdum et purgavit. In hoc autem malo, sicubi membrana *corneæ* supercrescente effectum fuerit, plerumque, ut periculis comperti sunt medici, parum prodest; neque profectò ad id prorsus curandum priùs pollent ulla medicamenta, quàm ministris vel instrumentis chirurgi vel rebus *chymicis* partes morbidæ sublatæ fuerint.

Ubi

* Vid. DUNCAN's *Comment.* ann. M,DCC,XC.

Ubi autem, contra hoc malum, in auxilium vocatur argentum vivum, quod interdum utique ad ſpem medici reſpondet, operæ fortaſſe pretium eſſet, ab *electreo* ſimul fulmine opem petere. Hoc *lentis* etiam caligini, quam effecerit *lues venerea*, ſæpenumero, ex toto, pòſt medetur, quàm eandem argentum vivum aliquatenus jam diſpulerit *. Hinc adducti, de eo itidem periculum faciendum eſſe in *cataracta* opinamur, quæ effecta cauſis obſcuris, vel ſaltem parum evidentibus, fuerit.

Ganglion.—Fulmine *electreo* tumores hujuſmodi ſunt perſæpe diſcuſſi. Ejus uſu magnos permultùm decreſcere tumores profectò vidimus. Quinetiam *bronchocelen* bis penitus ferme curâſſe dicitur.

Bubo.—Nuperrimè idem fulmen dictum eſt inſigniter emollire eas inguinum duritias, quas poſt ſe bubones *venerei* relinquunt, quibuſque ineſſe ſcrofulæ indoles putatur. Pollet quoque,

* Vid. Bell *on the Venereal Diſeaſe.*

que, ut opinatur Hunterus, contra *venereas* et infeſtiſſimas quidem verruculas, quæ præputium dedecorant; necnon contra induratam *epididymidem*, quæ interdum remanet poſt teſticuli inflammationem, quam virulentum ex fiſtula urinæ profluvium, impuro coitu effectum, concitavit *.

His compreſsè dictis de morbis quibuſdam *ordinatim*, ad quos tollendos, vel levandos aliquatenus ſaltem, polleat fulmen *electreum;* nunc de quibuſdam aliis pauca dicenda ſunt *ſingulatim*, utpote quos in ordines bellè aptèque diſponere non poſſimus, ſed, ad quos nihilominus ſanandos, fulmen idem incitandi facultate, quæ ei inſigniter ineſt, aliquantum, imo interdum plurimum, poteſt.

Amenorrhœa.—Ex plurimis morbis, contra quos præſidium ab *electreo* fulmine petitum eſt, hic ſanè is eſt, quo emacreſcentibus præſentaneum auxilium et præſentiſſimum remedium attulit.

* Vid. Hunter *on the Venereal Diſeaſe.*

attulit. Efficacius profectò, quo menſes fœminarum eliciantur, nihildum novimus. Adeo quidem, languentes uteri arterias commovendo, ad menſes hinc ſubducendos pollet, ut, cùm hoc conſilio ad id decurritur, nimios nunnunquam hos reddat.

Primulos menſes, ſiquando, ut haud raró accidit, obſtinatè remorantes, marceſcentem virgunculam pallore et triſtitia afficiant, interdum, potiſſimùm cum ſimul adjuvarent ea, quæ univerſum firmant corpus, ignis *electreus*, arteriis uteri commotis, brevi evocavit. Adhuc multo autem magis ad menſes, poſt ſtatas periodos, ſuppreſſos vel ægrè provenientes, eliciendos, pollet; et profectò ſæpe, obfirmatiſſimo quidem remoramine ſuperato, eos abundare fecit.

His conſiliis vel ſcintillulæ *electreæ* ex uteri regione eliciendæ ſunt; vel dirigendi per hanc lenes ictus. Plurimùm hæc profunt, ſi in auxilium iis vocentur temporibus, quibus menſes profundere natura molitur. Medicis enim

ſemper

ſemper in memoria tenendum eſt, adjuvante ſimul naturâ, medicinam plùs profuturam. Cenſet porrò Monro præclarus, ſi ſimul comprimerentur arteriæ *iliacæ*, fore fortaſſe, ut ſeu ſcintillæ *electreæ*, ſive ictus, plùs prodeſſent.

Febres intermittentes.—Contra has quoque petitum ab *electreo* fulmine præſidium eſt, et, ut perhibent medici, peroptatò. Hujus enim fulminis tanta eſt præſentia, ut, eo opportunè ſubveniente, quartanæ, a quibus medicinæ quidem præſtantiſſimæ diu obfirmatè obſtitum eſt, labent primùm, deinde inclinent, poſtremùm in fugam vertantur. Plurimum longè poteſt, ſi inſtanti acceſſioni obvium occurrat, vel ſi cum hac jam obverſa ſed vixdum invadente cominus quaſi congrediatur.

Has febres eodem ferè modo fugare videtur, quo alia plurima, quæ, corpus commovendo incitandoque, eaſdem in fugam dare videntur. Putatur verò terror, quem febricitanti injicit, febrem, qua hic inhorreſcit, interdum diſcutere. Utcunque autem hoc ſit, medicis

F in

in memoria eſſe debet, quò febres intermittentes abigat fulmen *electreum*, opus eſſe, ut hoc modo illove totum corpus pervadat.

Contractura.—Hoc porrò fulmen remedium eſt peculiariter ferme efficax, quod artubus, quos rigidos proprii eorum muſculi contracti reddiderunt, priſtinam mobilitatem reſtituat. Cervix, nimirum, obſtipa, quæ tali cauſa efficitur, eo ſæpe ad ſanitatem perducitur. Eam præterea artuum rigiditatem haud rarò tollit, quæ, ob defectum motûs, ſæpenumero fractis membris ſupervenit.

Aſcites.—Hic morbus, potiſſimùm ſi vixdum inceperit, vel ſaltem nondum inveteraverit, a fulmine *electreo* interdum curatur. Verùm, cognitâ tamen ejus naturâ et cauſis, eſt cur doleamus potiùs, quam miremur, vel fulmen *electreum* ad eum prorſus tollendum plerumque, præ fugacibus effectibus, parum pollere. Siquando aquoſo hoc languore tumefactis profit, prodeſſe videtur, partim efficiendo ut vaſcula bibula aquam, ex cavis quæ inundaverit,

verit, cupidiùs abſorbeant, et incitatiùs devehant; et partim duritias emolliendo, quæ morbum primùm effecerint, et deinde, ne jam effectus ſanetur, impediant. Pedes porrò et crura, quæ aquâ inter cutem intumuerint, in ſanitatem interdum perducit *electreum* fulmen.

Syncope.—Ad eos, quibus deficit animus, exſuſcitandos, ſatis plerumque pollent medicamenta, ex iis quæ leniter incitant. Siquando autem cor obſtinatè adeo conquieverit, ut leviore incitatu in motum cieri nequeat; tunc quàm primùm ad medicamenta, ex iis quæ acerrimè inſtimulant, confugiendum eſt: neque ullum ad quod, in hunc finem, meliore ſpe a medico decurratur, quàm fulmen *electreum*, novimus. Cæterùm, cùm, in obſtinatius animi deliquium, præſidium ſit ex iiſdem planè medicamentis, ex quibus interdum *in apoplexiam*, petendum, eadem, quæ de hac ſuprà diximus, hìc loci in memoriam revocanda.

Vermes,

Vermes.—Fertur, ictus fulminis *electrini*, per abdomen directos, vermes inteſtinorum necaviſſe; et hinc etiam *tæniam* expuliſſe.

Paraphonia.—Sonus quoque vocis, præ raucedine, depravatus, dicitur eodem hoc fulmine curatus eſſe: quocirca hinc, cùm, id quod ſæpe accidit, parum profecerint alia medicamenta, contra obſtinatum hunc morbum, et ſanatu quidem difficillimum, eſt petendum auxilium.

Cephalæa.—Contra hunc capitis dolorem, qui *nerveus* appellatus eſt, et ad quem profectò mitigandum neceſſaria ſunt ea, quæ peculiariter ferme roborant et ſtimulant, multum potuiſſe fulmen *electreum* narratur. Hujuſmodi dolores eodem ferè modo lenit, quo torpedo; quam etiamnum vivam, ut ſimiles levarent dolores, nudo capiti admovere antiquitùs ſolebant DIOSCORIDES, et SCRIBONIUS LARGUS. Quinetiam perhibent medici, quotidianos capitis dolores, qui, interjectis temporibus,

intermittunt

intermittunt et ingravescunt, quosque fugat *cinchonæ* cortex, eidem fulmini cessisse.

Herpes.—Non desunt etiam, qui certiores nos faciunt, vel hunc morbum fulmine *electreo* leviore depelli: dicunt autem idem, fulmen hujusmodi gravius effecisse interdum, ut *herpes*, quàm antea, latiùs serperet.

Pertussis.—Quoniam hic morbus, postquam inveteraverit, et tussi sibi propriâ insigniatur, interdum est subito terrore vel diuturno timore sanatus; fulmen quoque *electrinum*, dummodo hunc illumve moveat, nonnihil contra eundem pollere, vero haud absimile est.

Ulcus.—Aura *electrea* ulceribus admota, inflammationem, ut periculo comperti sunt medici, reprimit, suppurationem maturat, et sæpe curationem efficit.

Ecchymoma.—Quinetiam hujusmodi tumores, quos effecerit contusio, aliæve quælibet causæ, eadem aura interdum discussisse dicitur.

Gonorrhœa

Gonorrhœa mucoſa.—A JOANNE HUNTERO accepimus, hoc malum fulmine *electreo* curatum eſſe. Multum quoque hoc potuiſſe dicitur contra vetuſtam tentiginem, quæ *gonorrhœam virulentam* interdum ſubſequitur.

Muſculorum intentiones.—Fulmen *electrinum* multùm ad has curandas pollet, ſi diu perſtiterint, et ſi jam ſupervenerint rigiditas, tumor, debilitas, et in *arthrodyniam* proclivitas.

Non deſunt porrò, qui perhibent, aliquid ex fulmine *electreo* utilitatis percipere eos, qui morbo regio, tympanite, aurium tinnitu, calvitio, *hypochondriaſi*, calculo renum, fiſtula lachrymoſa afficiuntur: ſed nihil ſanè eſt rationis, cur, ad hos morbos curandos valere hoc fulmen, opinemur; et præterea auctores, qui valere afferunt, adeo perturbatè ſunt locuti, ut haud rarò, quid ſibi velint, intelligere nequeamus.

Præter ingentem hanc morborum cohortem, ad quam fugandam, vel ſaltem labefactandam valuiſſe, dicitur fluidum *electrinum;* contra alia plurima

plurima pollet mala, quæ, ut videtur verisimillimum, ex quibusdam nervorum conditionibus pendent, quibusque obviàm, ut suadent nonnulli, a medico opportunè eundum est. Hujus generis, secundum JOANNEM HUNTERUM, sunt sensiculi quidam inusitati, qui interdum in colis glande et urinæ fistula aliquandiu pòst remanent, quàm curata *gonorrhœa* fuerit.

Quin et existimat DUNCANUS, fulmen *electreum* aliquid homini levaminis attulisse, qui manum sinistram, ob sensum mirum in modum acriorem factum, magno absque dolore tangi sufferre nequiebat.

Certiores præterea nos facit VERATTIUS *, eodem fulmine fugatum esse specialem oculi dolorem, qui, ut verisimile visum est, ex sensu itidem acriore pendebat. Nihil autem omnino, ut nobismetipsis oblata est videndi occasio, ab eo utilitatis perceptum est in consimili cruris dolore, qui ambustionem subsecutus est.

Inclinârunt

* Vid. VERAT. *Obs. Phys. Med.*

Inclinârunt porrò animi, ut nonnulli arbitrarentur, fulmen *electreum* vel iis proficere, qui hydrophobia conflictantur, aut qui *diabete* marcefcunt. Nulla autem experimenta hucufque novimus, quæ hanc opinionem verifimilem, nedum probabilem, reddant. Licèt autem ita fit; tamen id fulmen, quippe cùm nervorum conditionem infigniter afficiat, effe in morbis adeo deploratis, ubi offerantur tempus et occafio, tentandum arbitramur. Eft eodem verò tempore confitendum, non effe, quare indè utilitas expectetur.

PARS IV.

De quibus Modis Corpori admoveatur Ignis Electrinus.

Nunc, quibus modis admoveatur ignis *electreus*, de iis quàm pauciffimis dicendum eft. De unoquoque modo fusè differere non opus

eft;

eſt; idcirco quòd omnia, quæ ad ignem *electreum* admovendum neceſſaria ſunt, eos medicos, qui *electrinam* bene intelligunt machinam, latere vix poſſunt. Admoveri ſolet hujuſmodi ignis vel *balneo*, vel *aura*, vel *ſcintillis*, vel *ictibus*. De his deinceps perpauca dicenda ſunt.

Balneum electreum.—Balnei modo admoveri dicitur ignis *electrinus*, cùm aliquis, iis ſuffultus adminiculis, quorum interventu ex eo emanare nequeat intromiſſus ignis *electreus*, hoc eodem igne uſque ad ſaturitatem impletur. Hoc modo leniter adeo admovetur fluidum *electrinum*, ut ita admotus nullum omnino in aliquos effectum ſenſiferum præſtet. Quocirca, quò depellat morbos, hoc modo rariſſimè admovetur.

Siquando, id quod opinantur nonnulli medici, ex corpore igne *electreo* non ſatis impleto morbi oriantur, tunc, quò curentur, ad ignem *electrinum* hoc modo admotum, cum ali-

quo fortaſſe fructu, decurri poteſt. Verùm in his tamen morbis, ſiquidem tales unquam morbi exiſtant, ex eo igne ita admoto tantummodo fugax admodum levamen poteſt percipi; propterea quòd, ex corpore aliquo igne *electreo*, præter ſolitum, expleto, vicina, donec cuique ſit æqualis ſaturitas, in ſe, pro ratâ, derivant.

Ne hoc modo ad æqualitatem vicinorum depleatur homo, quem igne *electreo*, præter ſolitum, impletum ſervandi ſtet medico ſententia, nonnulli eum duobus amiciendum induſiis, uno laneo, bombycino altero, ſuadent; quorum infrictione cumulatus ignis *electreus* ei corpus continenter pervadat. Cæterùm, optatò hoc eveniat, necne, periculis factis comperiendum eſt.

Aura electrea.—Hoc modo admovetur ignis *electreus*, cùm in aliquem ex corpore quolibet acuminato intromittitur. Aura *electrina*, quo magis acuminatum corpus eſt, unde venit,

venit, eo lenior eſt. Ignis *electrinus* hoc modo admotus, oculis inflammatione affectis, ulceribus, et partibus quibuſlibet quæ ſive naturâ ſive applicatis cauſis quibuſvis ſunt, præ cæteris, ſenſiles, inſigniter convenit. Non deſunt quidem, qui cenſent, auram *electream* balneo, ſcintillis, et vel ictibus anteferendam eſſe. Nobis autem videtur parum plerumque pollere.

Scintillæ electreæ——multo ſæpius, quàm aura, admoventur; et ad pleroſque profectò morbos curandos pollent, qui igne *electrino* ſanari poſſunt. Ut majore vi minoreve coruſcent ſcintillæ, prout res poſtulent, poteſt effici.

Ictus electrini——multo, quàm etiam ſcintillæ, plùs pollent. Modo autem ſatis cognito vis ictuum minui poteſt ad gradum uſque nihilo majorem, quàm qui ad optatum effectum edendum ſatis polleat. Quando, ſubmerſos velut quibus ſupervenerit *apoplexia*, homines

graviter

graviter incitare opus ſit, ictus *electrei*, balneo, auræ, et ſcintillis quidem anteponendi ſunt. Nervorum quoque reſolutione laborantibus ictus, præ his cæteris, conveniunt ; et leviores imprimis, præcipuè ſi eos ſæpe ingeminare opus ſit.

De aliis modis, quibus admoveri poteſt ignis *electrinus*, *frictione* nempe et *rivo*, differere mihi in animo non eſt ; eoque minùs, quòd utilitates ex his modis optandæ, ex iis ſuprà dictis percipi poſſunt.

Cùm ex morbis, contra quos ab igne *electrino* peti ſolet præſidium, multi adeo inveteraſcant, ut inſanabiles prorſus evadant, vel ſaltem ſanatu admodum difficiles ; quo citiùs in auxilium vocatur ignis *electreus*, et quo ſæpius, eo efficaciùs, eo meliùs. Quinetiam, quoties admovetur, plus utique proderit, ſi in ejus uſu, per quartam horæ partem, vel etiam ſemihoram, perſeveretur.

A

A leniore ufu ignis *electrini* incipere, ut pavidè fuadent nonnulli, deinde ad graviorem decurrere, eft muliebriter prætimere potiùs, quàm fcienter præcavere; cùm præfertim ignis *electrinus* raró, nifi cùm vehemens nimis fit, ullum fecum periculum afferat.

Quum, denique, ignis *electrinus* minus, ut nonnullis videtur, proprio marte poffit, quàm cùm fociis quibufdam firmetur, hos, quinam fint, in memoria tenere medicum oportet.

F I N I S.